

erat, non ausus est Zenus, suis ad Bardolinum sedenti- 1439
bus, naves oppido admovere : quo accidit, ut ubi Sfor-
cia se nihil profecturum vidit (quoniam oppidanis auxi-
lia aquis subveherentur) soluta obsidione, inde abierit.
Quia igitur parum id procefferat, Cavalcabos, Guerrerius
Martianus, & Joannes Comes, Romani sanguinis, cum
equitibus mille & peditibus trecentis, præter Arcum &
Thenium ad Brixiam commeatu & præsidio sublevandum
sunt missi. Hi per Sabienses in Pedemontanos delati, sta-
tuerunt equos montium asperitate fessos in herbido loco
prius reficere, quam urbem ingrederentur. Ceperat inte-
rim consilium Barbarus, hostilis classis partem, quæ ad
Salodium erat, comburere, Thaddæo Æstensi cum An-
drea Valerio & Andrea Leone eo missis. Zenus quoque
navium Præfectus monitus est per literas, ut ipse matu-
ro accessu adesset, remque fortiter gereret. Picininus &
Gonzaga, hostium consilio explorato, ex Vigasio clande-
stine cum equitibus ducentis profecti, per Piscariam ad
Fælicianum delati, se Alovisio Severinati & Italo Foro-
juliano junxerunt : quibus se cum omnibus copiis sequi
jussis, Venetum equitatum qui in Pedemontanis adhuc
stativa habebat, impetu repente facto, impedimentis exue-
re, nonnullisque ad id equitibus interceptis, cæteros in
urbem trepide compulerunt. Inde ad eos opprimendos con-
versi, quos ad lacum missos audiverant, tripartito move-
runt. Severinas in naves impositus jubetur aquis rem ge-
rere : Italus Madernianos montes cum pedite insidere :
Gonzaga & Picininus via, quæ montes ipsos a lacu divi-
dit, equitatum ducere. Tum hostium classis Venetam re-
pente adoritur : concitat Æstensis ex continenti turmas, ut
suis laborantibus auxilio adsit : tum a vertice & a latere
hostes coorti, in Venetos cum clamore irruunt. Thad-
dæus tot difficultatibus circumventus, suos quanta potest
vi tutari contendit. Sed tantus ab initio pavor cæteris in-
jectus est, ut nullo ferme loco nisi circa Æstensem sit ho-
sti repugnatum. Momento itaque temporis classis, & qui
in continenti erant, ab hoste oppressi sunt. Erant Veneto
tri-

*Veneta clas-
sis deleta.*